This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

b00062876X

LVCTATII PLACIDI

GRAMMATICI

GLOSSAE.

RECENSVIT ET ILLVSTRAVIT

A. DEVERLING.

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
A. MDCCCLXXV.

24

305 . e . 37.

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEVBNERI.

Praefatio.

I.

De libris Placidi.

Placidi glossae primum ab Angelo Maio ex quattuor codd. Vaticanis, quorum tres saec. XV., quartus s. XVI. scripti sunt, in Class. auct. t. III. in lucem editae sunt*). His libris mendosissimis longe melior est liber XIV. saec. scriptus, ex quo Ios. Corsius in Annalium universitatis literarum tuscanicae t. I. lectiones uarias ad exemplum romanum Pisae protulit. de hoc libro Fried. Ritschelius more suo multa acute et ingeniose disputauit (u. Rh. Mus. 1869. p. 456. sq.), sed illud dubitauit, an ille codex omnes glossas a Maio palam factas comprehenderet: nam lectiones uarias ex eo prolatas uix ad dimidiam partem glossarum editarum pertinere neque esse ueri simile, in libro admodum mendoso reliquas glossas uitiis carere. at nobis quidem liber Corsianus (C) eadem uidetur continere, quae ceteri codices. primum enim glossae, quas attulit Corsius, non in breuiorem formam redactae sunt et si quae breuiatae comparent, in aliis libris idem uidemus factum esse. tum loci a Corsio praetermissi, cum plerumque minus difficultatis habeant, ne in ceteris quidem libris ita multum inter se differunt. denique in C eadem fere sunt omissa, quae in libris integris, idemque qui in illis seruatur ordo. id optime perspicitur, ubi Maius quaedam sua sponte immutauit, uelut in glossis '*admodum*, *falla*, *pan*', uel

*) De codd. Vatic. u. Wilmannsium in Rh. Mus. t. XXIV. p. 362. sq. Kettnerum in Herm. t. VI. p. 166. sq. Theod. Mommsenium in Herm. t. VIII. p. 67.

ubi coniunxit, quae in libris separantur, ut in '*mulcitare, mulcitator*', uel ubi quasi laciniae glossarum supersunt, ut in '*exfabillauero, mattya*'. his omnibus in locis C et ab editione Maiana differt et cum codice Hamburgensi (H), de quo statim dicemus, maxime consentit. hic liber ut omnium est optimus ita reliquis plenior, nam numerus glossarum ex eo his auctus est: '*aristophanes, accurate, agunne, babilonia, damium, eritio, facetus, subsistentia, theos*': quarum ex numero '*eritio*' et '*facetus*' ex '*famulatio*' et '*lepidus*' excerptae sunt, '*subsistentia*' illa quidem a Maio allata, sed in CH ut fragmentum quoddam iterum posita est. '*agunne*' aut idem est quod '*aginam*' aut pro '*aginatorem*' corruptum.

Eaedem nouae glossae item exstant in codice Hamburgensi (H) chart. s. XV., ex quo insuper aliae nouae accesserunt: '*caelibum, caruasa, cassiculo, citarier, concordo, desipiscentes*', desunt autem '*neunquam, concubia, denixe, erum*'.

Praeter hos codices plures Romae tam in bibliotheca Vaticana quam in aliis inueniri *Guilelmus Meyerus* nos docuit et suspicari licet, alios aliis in locis latere. sed Placidi glossae non solum propriis libris, quamquam iam his alienae immixtae uidentur, ad aetatem nostram peruenerunt, uerum etiam cum aliis glossis commixtae et quasi in corpus redactae. huius generis librorum primarius est qui uocatur liber glossarum, cuius extant exempla admodum uetusta. codices, quibus nos usi sumus, hi sunt: Bernensis (b) num. 16. s. IX, qui est primus et tempore et dignitate censendus, sed non glossas habet nisi ad quinque primas litteras pertinentes. Vercellensis (v) num. 62. s. X paene integer, sed multo mendosior est Bernensi, qui et ipse uitiis scatet. Palatinus (p) num. 1773. s. X uel XI, ex quo Maius additamenta et emendationes glossarum in Class. auct. t. VI. p. 554—574 decerpsit. Bambergensis (a) s. X, qui multis locis mutilatus est neque auctorum nomina adscripta habet. Monacensis (m) num. 14429. s. X uel XI, qui cum ualde in angustum sit contractus, multae Placidi glossae in eo desunt, aliae breuiatae sunt. denique Monacenses num. 13302. (r) et 22201. (w), quorum ille a. 1158., hic a. 1165. scriptus est. est autem uterque exemplum lexici, quod uocant Salo-

monis. quamquam autem hi codices, quos enumerauimus, libros, quibus Placidi glossae istae continentur, uetustate longe antecedunt, uitiis tamen his magis referti sunt.

II.

Quae ratio inter utriusque generis libros intercedat.

Quidam cum Placidi libros, quos quidem adhuc nouerimus, aetate recentiore scriptos esse uiderent, coniecerunt, extremis mediae aetatis temporibus, quibus literae et artes bonae quasi renatae esse dicuntur, glossas Placidi ex libro glossarum exscriptas et in unum uolumen collectas esse. ea suspicio hac quidem re adiuuatur, quod utrique libri multa uitia communia habent, ut alteri ex alteris deducti uideri possint. sed hoc inde factum esse apparet, quod eo tempore, quo liber glossarum componi coeptus est, multis mendis glossae iam aspersae erant. potest autem ostendi, libros Placidi e glossario magno non solum originem non ducere, sed etiam nonnullis locis ex eo interpolatos ac deprauatos esse. uelut in C multae glossae, quae in aliis libris Placidi eadem uel simili ratione corruptae sunt atque in libro glossarum, aut sanae aut certe minus uitiatae deprehenduntur, ut '*arsedentes, continuari, dacrumis, dubium quid, egregius, eulogia, helluci*' etc. in Romana editione Maii (R) '*equininam*', in C '*exquinam*', in glossariis '*ecquinnam*' uel '*ecquinna*' scriptum legimus, sed in H '*equirium*', quod etsi non rectum est, tamen ad uerbi ueram formam propius accedere uidetur. est autem in H subter uocem '*equirium*' linea ducta et in margine '*equiniam*' additum. item in H subter uoc. '*deliola*', ut pro '*doliola*' scriptum est, linea ducta et margini '*delioca*' appositum reperitur. '*delioca*' autem et ipsum in R legitur et in glossariis simillimum uocabulum '*delioqua*'. quid quod in H s. u. '*luculentassit*' utrorumque librorum scripturae siue compositae siue confusae sunt.

Iam supra diximus, glossaria longe pluribus laborare uitiis quam libros Placidi. in illis enim multa inepte addita, multa interpolata sunt. accedit quod non multae glossae inueniuntur, ubi non aliquae discrepantiae eaeque nonnun-

quam magnae inter Placidi libros et glossarium magnum conspiciantur. unde facile intelligitur, utrumque librorum genus separatim esse traditum.

Si glossarum ordinem contempleris, qualis in utrisque libris seruatur, in libro glossarum loci ita sunt digesti, ut non solum primae sed etiam secundae et tertiae et ceterarum literarum ratio haberetur, quamquam ut in tanto opere nonnulla perturbata sunt. sed in Placidi libris glossae continentur sic permixtae, ut nihil nisi prima uocis explicandae litera respecta sit. quodsi quis Placidi glossas e glossario magno depromptas et in unum quoddam corpus redactas esse putet, nullam causam afferri posse uideo, cur iste quasi novi uoluminis auctor ordinem glossarum data opera quam maxime peruerterit. ceterum in Placidi libris uerum ac genuinum glossarum ordinem superesse, quibusdam ex rebus perspicitur. uelut glossam '*pelta*', quae sic explicit: '*quibus eaedem Amazones utuntur in pugna*', locus praecedit de Penthesilea conscriptus, quo de Amazonibus agitur. at in libro glossarum, quamquam uocab. '*eaedem*' retentum est, illae glossae pro ratione literarum interuallo maiore separatae sunt. porro in glossariis haec leguntur:

'*Frugem fecisti pro bene fecisti. unde quidam frugifat interdum*'. acute uidit Kettnerus, hoc loco duas glossas confusas esse, cum in Placidi libris uerba recte sic se excipiant:

Frugem fecisti pro bene fecisti. unde quidem frugi.
Facesse fac interdum.

item glossa '*lupam*' in libro glossarum sic finitur:

'.... *unde et lupa lepidula festiua*'.

quae in Placidi libris sic secreta leguntur:

.... *unde et lupanar dicitur*

Lepidula, festiua.

inde efficitur has glossas eo ordine, quem in libris Placidi tenent, iam ab initio collocatas fuisse: alias enim in glossario magno, cum eius ordo sit accuratior, non ita continuari potuerunt. illud denique raro fit, ut res propinqua significatione in Placidi libris iuxta positae legantur, uelut '*alitos alimones,*

erum eram, hermae hermes, pellexeris pellicens pellex, peluis pollubro, pronuba procos'.

Praeterea monendum uidetur, permultas glossas, quae in Placidi libris non leguntur, eius nomini in libro glossarum adscribi. de his infra disputabimus. contra in libro glossarum has Placidi glossas frustrá quaesiuimus: '*ad incitam, agredulae, alitos, altrinsecus* (*ex altera parte*), *alumna, artheraterem, asisua, corrigiae, decrepiti, emispheria, enormia, ephebi, eques, ergastula, euentus, expudet, faenebris, gutturneo, habena, februarius martius* etc., *inuestem, insortem, iubar, lacunaria, laudare, lancinare, noctis partes, non quitum, obnuberat, occasio, oenum, phlegetontes, pollubro, procos, pronubos, puberes, putium, romam, senatus, stipulatores, tenax*'. quae cum in omnibus desint glossariis, quibus quidem nos usi sumus, existimandum est, eas omnino libro glossarum non insertas fuisse, ut etiam hanc ob rem libros Placidi e libro glossarum deductos esse credibile non sit. earum quas supra diximus glossarum plures ideo praetermissae uidentur esse, quod cum ab Isidorianis locis nihil paulumue distarent, libri glossarum auctores locis Isidori simillimis iam allatis eadem uerba iterare noluerant. ob eam causam has Placidi glossas omisisse mihi uidentur: '*agredulae, alumna, corrigiae, decrepiti, emispheria, eques, euentus, februarius martius* etc., *iubar, lacunaria, noctis partes, occasio, stipulatores*'. eosdem autem non unum Placidi librum scriptum, sed duos pluresue adhibuisse, ex eo cognoscitur, quod glossas satis multas duplici ratione perscriptas operi inseruerunt, ut *artissime commisit, altriplicem, adsentiae, caculae, cauilla, candys, conieci, cracentes, calim, crastinam* etc. quarum modo altera cum Placidi libris consentit, modo neutra. aliis nomen Placidi, aliis alienum nomen, aliis nihil prorsus adscriptum est. sed non solum glossae repetitae, uerum etiam quaedam in duas tresue partes diuisae earumque fragmenta suae quodque literae subiecta sunt, quo melius lexici usui seruirent, uelut '*capta tempestate, artissime commisit, examussim* (*integre*), *honoripetae, iugi iunoni, scena*'. denique glossa '*penthesilea*' leuiter mutata s. u. *amazones* A literae inserta est.

III.

De Placido glossematum scriptore.

In praefatione ad Statium Tiliobrogâ statuit, glossas antiquas illas, quae sub nomine Placidi circumferrentur, a Luctatio Statii commentatore scriptas esse. haec sententia, quam Maius secutus est (Cl. A. t. VI. p. 553.), codice Corsiano egregie confirmatur. hic enim sic exorditur: '*Incipiunt glossae Luctatii Placidi grammatici in Plauti comoedias*' et ita explicit: '*Finiunt glossae Luctatii Placidi grammatici*'. neque uero commentarii, quos Luctatius siue, ut alii malunt, Lactantius in Statii poemata composuit, neque argumenta metamorphoseon Ouidii, quae ad eundem auctorem referuntur, neque ea, quae Maius ex mythographo anonymo in Class. A. t. III. p. 83—160 publicata eidem auctori adscribit (praef. p. VII.), ita composita uidentur, ut eundem glossarum quoque scriptorem fuisse negemus, praesertim cum nullus alius scriptor eiusdem nominis notus sit. adde quod Placidus glossographus aeque fuit christianus ac Statii commentator: nam ut hic in Theb. 1, 140. de paganis loquitur, sic ille s. uu. '*auspicium, echo, horus, libitina, pan*', idemque Plautum s. u. '*exanclare*' saecularem poetam nominat.

Statii commentatorem posteriore aetate floruisse *Tiliobroga* recte statuit: eum enim ex Hygino Seruio Fulgentio multa descripsisse et, ut de reliquis non esset dubitandum, Fulgentio quidem eum inferiorem idcirco existimandum esse, quod Boetium citaret et Sedulium, qui eodem fere cum Fulgentio saeculo uixissent. Hermannus quoque *Schottky* in disputatione de pretio Lactantiani in Thebaidem commentarii Placidum quinto saeculo post Christum uixisse argumentis confirmauit (Teuffel, R. Litg. 1870. 303, 9.). eiusdem fere aetatis etiam nostrum glossographum iudicandum esse ipsum eius dicendi genus ostendit: nam multa apud eum uocabula posteriorum temporum propria leguntur, uelut *duelles* p. 12, 14., *retia* pro 'rete' 18, 15. 16., *rectitudo* 4, 1., *seductores* 78, 7., *retollere* 74, 12., *distractores* 51, 7., *pronubos* 76, 13., *taediosum* 83, 14., *colatorium* 20, 10., *reatus* 22, 18., *nouenarium* et *astagia* 70, 6. 27., *obito*

patre 73, 12., alia quae in libris sequioris temporis tantum uel mediae aetatis uel nusquam alias exstant. iam quod *placitum* p. 23, 4. et *denarius* 9, 2. et *fabrica* 57, 10. idem significant quod 'contractus' (u. Areual. ad Isid. 5, 24, 19.), 'assarius', 'opus fabricatum': haec res inferioris aetatis scriptorem declarat. cum denique Placidus praecipit '*Liberauit de praeterito per u, liberabit de futuro per b scribitur*' et idem ait '*caruasa per u scribi oportet*', et indicium est ineuntis mediae aetatis, qua literae b et u permutari solebant, et ipsum Placidum hoc uitio laborasse testatur. postremo quod de paganis ut de ueterum sacrorum studiosis loquitur, id uocabulum in edicto Valentiniani et Valentis imperatorum primum hac significatione usurpatum inuenitur.

His causis ductus Kettnero (Zur Kritik der glossae Placidi 1872. p. 12.) assentiri nequeo statuenti Placidum si non secundo at certe tertio saeculo uixisse: censet enim et Apulei et Frontonis aetate priscorum uerborum opes ad usum illius aetatis hominum necessarias fuisse et Nonium tertio saeculo collectanea sua comportasse. at si morem temporis Frontoniani respicias ex eoque consequi dicas, priscarum uocum thesauros illis hominibus antiquissima quaeque captantibus ex usu fuisse, eodem iure Antonini uel Aurelii aetate Placidum glossas collegisse credas, praesertim cum sequenti saeculo illud antiquitatis studium elanguisse constet. quid quod Festus quarto saeculo simili literarum generi operam dedit et Paulus, eius epitomator, Caroli Magni aequalis erat? ut nihil dicam de ingenti glossarum numero, quae proximis saeculis cum ad alios scriptores tum ad Virgilium illustrandum conscriptae sunt. quod autem auctores Lucano Plinio Cornuto recentiores a Placido nullos afferri Kettnerus miratus est, quaero, quos alios nominare debuerit Placidus, quippe qui una cum glossis etiam locos auctorum pro testimoniis positos ex antiquis glossographis mutuatus esse uideatur. accedit quod Luctatius aeque atque Isidorus paganorum mentione iniecta nusquam in utramque partem disputat, unde sacra gentilium illo tempore dudum abolita et fidem christianam iam altissimis radicibus fixam fuisse putandum est. infra tamen annum 535. Placidi glossas reiciendas non esse, praefatione illa cognoscitur

poetae cuiusdam ignoti, quae anthologiae latinae affixa et paene tota ex uocabulis Luctatianis conglutinata est (u. Rh. Mus. 1835. III p. 471.).

Restat ut quaeramus, qua patria hic glossographus, de quo agimus, fuerit ortus: hac de re uix quidquam certi statui poterit. Maius quidem ex his uerbis: '*Frameae hastae longissimae sunt, quibus etiamnunc Armorici utentes hoc nomen tribuunt*', confici opinatur, Placidum natione fuisse Gallum (Cl. A. VI, 553.). at primum haec glossa non adscribitur Luctatio nisi in libro glossarum, tum si hanc concludendi rationem probes, idem consequi dicas ex illis, quae et ipsa in libro glossarum Placidi nomen ferunt: *Gaesatorum non nomen gentis est, sed mercennariorum gallorum, si quidem alibi legi non gaesatorum, sed gaesorum scriptum*'. at cum prior huius glossae pars ex Orosii hist. 4, 13. petita sit, illa quae de 'frameis' scripta sunt, pariter ex alio scriptore possunt descripta esse, siquidem Placidus glossographus, ut de Statii commentatore Tiliobroga uere dixit, integras saepe periodos ex libris aliorum transscripsisse uidetur. neque tamen Placidus homo Romanus uel Italus fuit: talis enim de Numa loquens hunc non Romanorum regem fuit appellaturus neque eodem loco dicturus, apud Romanos ancile de caelo lapsum esse (u. *ancile* p. 4, 12.). item quae s. u. '*censorium*' (p. 17, 22.) leguntur: '*apud ueteres enim Romanos*' etc., hominis peregrini putanda sunt.

IV.

Ad quos auctores Placidus glossas scripserit.

Fried. Ritschelius (l. c. p. 459.) primus monuit, in praescriptione codicis Corsiani scriptum legi, Placidi glossas in Plauti comoedias compositas esse. neque id iniuria dici multis locis ad comoedias Plautinas hodie exstantes referendis confirmatur, ut glossis '*aequabiles, habeo, habitior, horno, ibus, inmoene, iudicatus, laterna punica, libentia, lucinam, murrinam, neniam, offa, tenax, turget*' etc. nec desunt uerba, quae a scriptoribus ut Plautina afferuntur et ipsa a Placido explicantur, ut '*apluda*' in Astraba usurpatum fuisse traditur

(Non. 69, 23. Gell. 11, 7, 5.), '*acipenser*' in Baccaria (Macr. sat. 3, 16, 1.), '*commodo*' in Friuolaria (Charis. II. 196, 9. K.), '*nautea*' in Artemone (Fest. 165, 32.), item '*herbam do*' (Fest. Paul. 99, 8.), '*narria*' (Fest. 166, 21.), '*coculis*' (Isid. 20, 8, 1.), '*essentia*' (Quint. 2, 14, 2. et 3, 6, 23.). quin ideo dixerim Muellerum recte '*axitionum*' pro '*aexiciorum*' uel '*ad exitiarium*' emendasse, quod Varrone teste in L. L. 7, 66. Plautus eius adiectiuo usus est, et '*matiano malo*' pro '*masio malo*' ob hanc rem ipse scribendum censui, quod etiam Fronto de mattiis (mattianis?) pomis loquitur eo loco, quo multa nomina Plautina affert*). permulta uocabula a Placido explicata etsi ad fabulas Plauti quae supersunt referri nequeunt, tamen aliter terminata apud comicum illum leguntur. alia denique Plautini sermonis ingenium ac naturam quam maxime redolent.

Muellerus in Festi reliquiis series quasdam glossarum Plautinarum intextas esse recte monuit. atqui complures earum uocum, quae in aliqua eiusmodi serie conspiciuntur, ipsae apud Placidum occurrunt. inde effecerim etiam has Placidi glossas ad Plautum referendas esse, etiamsi lemmata nonnunquam terminatione a Festo differunt. uelut ex ea serie, quam Muellerus p. 20. inesse statuit, uocabula '*exitam*' et '*ausculatus*', ex altera p. 35—36. '*bulga*', e tertia p. 60—62. *conjector crumena culleus coniuolis capulus*' etiam a Placido explicantur. atque etiam alias series glossematum Plautinorum apud Festum statuendas esse puto, uelut p. 142—144. et 165. et 166.: nam primo loco uocabula '*municeps mulleos multifariam moenia murrinam murgisonem*', secundo '*nepos nepa nauteam*', tertio '*narita nare nauus*' Festo cum Placido sunt communia.

Potest tamen Luctatius ad alios quoque auctores glossemata scripsisse uideri. uelut '*ad manticulandum*' a Pacuuio usurpatum esse Festus 133, 22. testatur, '*aeque quicquam*' hodie legitur in Terent. And. 2, 6, 3., '*ingluuiem*' ap. Virg. Georg. 3, 43., '*pellacis*' et '*spiris*' in eiusdem Aen. 2, 90. et 2, 217., qua in re hoc maxime notandum est, Seruii glossas cum

*) Fronto de feriis Alsiensibus ed. Maius 1815. t. I. p. 177. ceterum hoc loco Maius recte adnotauit, 'mattiis' fortasse a 'pomis' separandum et pro 'mattyis' accipiendum esse.

ipsis Placidi uerbis consentire. at quidni credamus, Plautum et ipsum illa uocabula usurpasse et Seruium eosdem grammaticos ueteres adiisse quos Placidum? iam quod apud Luctatium quaedam uocabula uarie scripta sunt, ut '*abludam apluda, ancras angrae, adorea adoria*', inde non sequitur, eum glossas ad diuersos auctores interpretandos composuisse, sed una cum glossematis uariam scripturam recepisse. at quae apud Placidum, quamquam scriptura huius loci nequaquam certa est, sic leguntur scripta: *Burrae uarroniae, fatuae ac stupidae, a fabula quadam Varronis auctoris, quam burras inscripsit*', obstare uidentur, quominus a Luctatio Plautum explicatum esse credamus. nam si originatio uocabuli '*uarronius*' recte se habeat, Plautus qui Varrone longe superior fuit aetate, illo usus esse non potest. at cum illud a 'uarro' id est stultus uel ineptus duci debeat, probabile uidetur, Placidum in glossis antiquis haec inuenisse: '*Burrae uarroniae, fatuae ac stupidae*', ipsum autem illam uocem ad Terentium Varronem retulisse et cetera affinxisse, aut ex alio scriptore has nugas addidisse.

Cum autem multae glossae ad fabulas Plauti, quae etiamnunc exstant, referri nequeant, facere non possumus, quin eas perditis Plauti fabulis siue dubiis siue spuriis tribuamus. quaedam tamen ad tempora Plautina nullo modo reuocari possunt, uelut '*municeps, ambronem, priuilegia, romam*'. alia aut antiquis commentariis Plautinis intexta fuisse aut Placidi libris extrinsecus adiecta uidentur esse, ut '*analogia, commata*'. postremo quae s. u. '*factus*' enarrantur, si modo lectio sana sit, sermonem aetatis barbarie iam infuscatae indicant.

Ceterum haec omnia de illis tantum glossis dicta esse uolumus, quae libris Placidi continentur. ueniendum est ad ea glossemata, quae in libro glossarum tamquam Placidi propria adduntur. quorum plurima quin non ad Plautum, sed ad alios auctores pertineant, non est quod dubitemus. multae sunt glossae Virgilianae, uelut '*ab alto, adtonitus, aspera, caelicolae, camuris, capere, chalybes, concilias, confieri, continuo, conuexo*' etc. aliis, quarum numerus Virgilianis fere par est, res ad grammaticam pertinentes definiuntur plerumque breuissime, ut '*accentus, anadiplosis, macrologia, tricola,*

tropus etc. ad Ouid. met. 7, 176. uel 14, 485. referendum puto '*cladibus*', ad eiusd. art. amat. 3, 105. '*faciem*', ad Stat. Theb. 7, 712. '*falcato curru*'. quae sub C lit. leguntur: *Cyprus, ziziphum, in expositione legimus cantici canticorum, quod est tenue*', ad l. c. 4, 4, 14. pertinere apparet. nec desunt uocabula antiquae quasi notae, ut '*capsit, capso, citarier, deperit, escit, hariolatur, ientaculum, neminis, noctipugam*' etc. quae si ad Plautum uel ad alium quendam auctorem ueterem referas, principalem numerum glossematum paulatim in libris Placidi imminutum esse, codices autem, quos auctores glossarii magni adhibuerunt, aliquanto copiosiores fuisse existimandum est. si autem omnia glossarum additamenta generatim consideres, eas esse explicationes uocum priscarum et antiquitate obliteratarum uix dixeris, pleraque enim tritissima et uulgaria et indigna sunt, quae in medium proferantur. haec Maius uulgauit in Class. A. t. VI p. 554—574, ubi tamen multae glossae Placido falso adscriptae, aliae quae in ceteris glossariis ei tribuuntur, omissae sunt, plurimae corruptae leguntur.

Iam quaerendum est, num illi loci, qui tantum in glossariis Placido adscribuntur, ab eo compositi esse iure dicantur. qua in re illud nobis praesumendum uidetur, eorum aliquos illius nomen falso ferre. nam ut nonnullis ueris Placidi glossis aliena nomina indita sunt, uelut Virgilii nomen his glossis '*aeque uident, anquirens, centurum, comptissimus, eccere, efflictim, eram, fimbrium, ibus*', Isidori his '*auspicium, carisa, emissarius, exerat, ianuarius, inclamitari, latro, liniamenta*', Eucherii huic glossae '*mitra*', sic item potuit fieri, ut errore scribarum quibusdam locis nomen Placidi falso praeponeretur. plurima autem uitia hinc nata esse uidemus: primo enim haec glossarum praescriptio uidetur fuisse '*de glossis Placidi*', postea compendio facto uel '*de glossis*' uel '*Placidi*'. nam sic tantum perspicitur, cur illae notae toties uarientur et si quae glossae in libro glossarum duplicatae sunt, alteri '*de glossis*' alteri '*Placidi*' aut utrique '*de glossis*' praescriptum sit. eandem Virgilii*) et Isidori glossarum et

*) Testimonio est glossa '*Finxit composuit formauit*', quae cum ad Virg. Aen. 2, 80. sit referenda neque ab explicatione Seruii discrepet, ei in libro glossarum nota '*de glossis*' addita est.

praescriptionem et breuiationem fuisse puto et librarios, cum notam 'de glossis' appositam uidissent, pro hac modo '*Virgilii*' modo '*Isidori*' quasi doctrinae suae ostentandae causa scripsisse idque saepius falso. sic glossae Virgilianae '*referunt reportant*' '*secreti diuisi separati*' in aliis libris Virgilio in aliis Placido adscripti leguntur et permultis locis Isidorianis in libro glossarum nomen Placidi appositum est. cf. Class. A. t. VI p. 564. *ironia, ianua, ianuarius*, p. 567. *nautam et nauitam*, p. 568. *oblectatur* etc.

Sed quamuis multa in glossariis Placido falso sint assignata, tamen eiusmodi additamentorum numerus maior est, quam ut a librariis omnia peccata esse uideantur. accedit quod Isidorus D. V. 99., quo uno loco Placidum dilucide nominat, haec scripsit: *Placidus, conscribere, inquit, est multa simul scribere. exscribere, quod alibi scriptum sit, transferre. transscribere, quum ius nostrum in alium transit. inscribere accusationis est. ascribere assignationis. describere dictionis uel ordinis*'. cum haec uerba ex Agroecio de orth. 2243, 8. P. ad uerbum paene descripta sint, Luctatius alias quoque res grammaticas in libris tractasse et more grammaticorum ut Capri, Agroecii, ceterorum uaria quaedam de uerborum proprietate ac differentia comportasse uidetur. quam coniecturam eo firmari arbitror, quod discrimen inter '*bucina et bucinus*' glossariorum testimonio Placido proprium eisdem uerbis ap. Flauium de orth. 2243, 8. P. inuenitur scriptum. ex eo uel simili opere nonnulla in librum glossarum uidentur ascita esse.

V.

Ex quibus auctoribus Placidus glossas hauserit.

Inde quod inter Placidi glossas et Festi reliquias quaedam similitudines intercedunt, eas ex pleniore Festo excerptas esse Muellerus iudicauit. quamquam autem aliquot glossemata ex opibus Verrii deprompta iure uidentur esse, uelut '*altriplicem, ancras, batos, caesariati, cracentes, damium, flaxare, fracebunt, fratria, masucium*', tamen Muelleri coniecturam recte repudiauit Ritscheliùs: nam si quis utrumque opus obiter tantum inspexerit, inter glossarum et copias et expli-

cationes nimium quantum interesse cognoscet. quare miror, quod Muellerus Placidi et Festi quasdam glossas ualde diuersas ex eodem fonte haustas esse dixit, uelut '*aginam*'.

Neque illud dixerit quisquam, Placidum tot uocabula antiquissima ex sua ipsum literarum scientia explicasse. namque et Festus et Nonius Luctatio aetate superiores ueterum compilatores appellandi sunt et nostro quodam iure conicimus, homines quinti sextiue saeculi, uel doctissimos uocabula antiquitate iam obliterata ipsos per se interpretari non potuisse, nedum Placidum hominem mediocriter doctum. itaque ad ea tempora regrediendum est, quibus Plauti comoedias explicatas esse scimus. atque eorum quidem, qui Plautinas scripsere glossas, numero putandi sunt Aurelius Opilius, Aelius Stilo, Seruius Clodius, Varro, Verrius Flaccus, Flauius Caper, Arruntius Celsus (u. Varr. L. L. VII, 50. 65. 66. 67. 70. 79. 106. Varr. ap. Diomed. III 486, 8. K. et ap. Non. 9, 13. Fest. 371, 6. cf. Ritschelii Parerg. p. 179. 180. 242. 362. 365. 367. Teuffel., R. Litg. 1870. 146, 4. 9. 320, 1. 335, 3.). quos non ita glossematum scriptores appellauerim, tamquam uerba Plautina more Placidi breuibus instruxerint explicationibus, sed eos in scriptis grammaticis exemplo Varronis cum alia tum uerba Plautina tractasse existimo. Aelium quidem Festus a glossographis aperte separauit, cum scripsit: '*Naucum ait Ateius philologus poni pro nugis. Cincius, quod oleae nucisque intus sit. Aelius Stilo omnium rerum putamen. glossematorum autem scriptores fabae grani, quod haereat in fabulo*'. ergo putandum est, Plautini sermonis studiosos iam mature fabulis eius poetae breues interpretationes uel in margine aspersisse uel singularibus libellis ei literarum generi operam dedisse. ex his glossematum scriptoribus, non ex ipso Verrio uel Festo Placidus uidetur hausisse, si quae huius cum Festo communia sunt, neque absurdum est opinari utrumque, Placidum dico et Verrium, eosdem ueteres glossographos adiisse. de ceteris uero grammaticis, quos supra enumerauimus, ex reliquiis eorum ualde exiguis nihil concludi potest.

Dicet aliquis glossographum nostrum Cornuti quoque et Plinii scripta consuluisse, cum sic scribat: '*Ingluuiem Cornutus uentrem, Plinius edacitatem*'. Plinii interpretationem

ex eius libris '*dubii sermonis*' petitam esse puto, in quibus etiam de raris uocabulis disputatum erat (u. Teuffel. l. c. 294, 2. 4.), Cornuti autem ex commentariis Virgilianis, praesertim cum in Virg. Georg. 3, 43. '*ingluuiem*' eodem casu positum reperiatur (u. Gell. 9, 10, 5. Charis. I 125, 16. 127, 10. K. Teuffel. 282, 2.). neque tamen crediderim Placidum ab ipso Plinio uel Cornuto illas explicationes petiisse, sed iam apud glossographos allatas deprehendisse atque hinc mutuatum esse.

Iam uero Kettnerus obseruauit, Suetonii quoque prata Luctatio et res et uerba suppeditasse (Zur Kritik etc. p. 14). id maxime factum est, ubi non prisca uerba, sed rerum uocabula originatione obscura aut explicatu difficilia exponuntur, ut *noctis partes*, *nomina mensium*, *senatus*, *clima*, *lacteus circulus*, *cuniculi*, *differentia inter iuuentus iuuentas iuuenta* etc. ac *noctis partium* quidem interpretationes, quales apud Isid. N. R. 2, 2. leguntur, ex Suetonii prato de natura rerum sumptas esse et Gustauus Beckerus iudicauit et Reifferscheidius assensus est (u. Beckeri praef. ad Isid. N. R. p. XXII., Reiffersch. quaest. Sueton. p. 429.). atqui Placidus in earum enarratione ad uerbum paene congruit cum Isidoro, nisi quod hic uoc. '*concubium*' omisit et '*diluculum*' a Placido crepusculo matutino praepositum ei postposuit. itaque cum in omnium fere rerum consensu haec differant, Kettnerus consequi dixit, hoc loco Isidorum non, quod alias saepenumero fecit, a Placido, sed utrumque a Suetonio res mutuatum esse. poterat addere, a Luctatio octo noctis partes poni, ab Isidoro septem aperte et dilucide enumerari. nobis igitur probabile uidetur esse, cum Suetonius septem noctis esse partes ipse statuisset et de aliorum sententiis uaria disseruisset, Isidorum numerum Suetonianum transscripsisse, Placidum autem paucis quibusdam rebus mutatis ex aliquo grammatico, quem Suetonius attulerat, '*concubium*' addidisse. dolendum est Placidi glossam de noctis partibus compositam in libro glossarum non exstare, praesertim cum in Placidi libris explicationes uocabulorum '*concubium*' '*intempesta*' '*diluculum*' nescio quo casu exciderint. ceterum non dubitauimus ex Isidoro '*intempesta*' supplere, quod s. u. '*diluculum*' fieri non oportere Kettnero adstipulamur. cum enim uterque sic definiat:

'*Crepusculum matutinum inter abscessum noctis et diei aduentum*', Isidoriana interpretatio diluculi '*quasi iam incipiens parua diei lux. haec et aurora, quae solem praecedit*', aptissima uidetur, cum sit crepusculo postposita, uidebitur autem inepta, si eam, quod Placidi enumeratio postulat, crepusculo praemittas.

Item explanationes *mensium* s. u. '*ianuarius*' ad Suetonii auctoritatem referendae sunt. nam primum Censorinus c. 22., Seruius Georg. 1, 43., Macrobius Sat. 1, 11, 5. sq., Suetonii potissimum compilatores, rebus fere prorsus cum Placido consentiunt. tum quae Isidorus, Suetonii et ipse compilator, de februario maio iunio tradit, paene iisdem uerbis expressa apud Placidum leguntur. quod autem episcopus Hispalensis in orig. 5, 33, 4. addidit: '*cui eo mense sacrificabatur*', et ibid. 5, 33, 9. '*ante enim populus in centurias seniorum et iuniorum diuisus erat*', quodque apud Seruium Georg. 1, 43. eadem scripta sunt, dixerit aliquis, Isidorum glossis Placidi more suo hos quasi pannos e Seruio assuisse. at Isidorum uerba a Luctatio breuiandi studio praetermissa extrinsecus adiunxisse idcirco negem, quod necessitate quadam postulari uidentur. ex eis autem, quae Seruius et Isidorus de martio scripserunt, colligitur, Isidorum in mensium enarratione e Seruio non pependisse. hic enim dicit: '*Nouum uer ideo ait, quia anni initium mensis est martius*', ille autem: '*Idem appellatur et mensis nouorum, quia anni initium mensis est martius. idem et nouum uer ab indiciis scilicet germinum, quia in eo uiridantibus fructibus nouis transactorum probatur occasus*'. quis est quin uideat, utrumque haec ex eodem fonte et Isidorum quidem pleniore haustu bibisse, id est ex Suet. Prat. lib. VIII, ubi de anno romano agebatur (u. Reiffersch. p. 432. Becker. praef. p. XXII.). ex eodem auctore Placidus sua deprompsit, ab illis non discrepans, nisi quod res in arctius contraxit. in ianuario describendo ille quidem ab Isidoro 5, 33, 3. diuersa tradit, sed in ceteris mensibus, quos breuius explicauit, cum eo congruit.

Pariter in descriptione *senatus* Luctatius Suetonium secutus esse uidetur. in glossariis quidem haec Placidi glossa deest, sed habent locum, cui in codice Vercellensi nomen Isidori

perperam additum est. hoc in loco omnia fere interpretationi Placidi conueniunt, nisi quod in Placidi libris haec sic leguntur scripta: '*hic elegit de exercitu suo seniores centum, quos senatores appellauit*', in glossariis autem sic: '*isti a Romulo electi sunt centum ex populo, qui ob aetatem senatores, ob similitudinem curae patres appellati sunt, eo quod sicut pater filiis ita prouiderent reipublicae*'. equidem non dubito, quin hic glossarii magni locus ad Suetonium, ex quo et alia in eum librum translata sunt, referendus et Placidus ibi quoque Suetonii breuiator sit putandus. iam uero Eutropius, qui et ipse saepe Suetonium exscripsit, nonnulla eisdem uerbis ac Placidus profert (1, 2.) et Isidorus 9, 4, 12. extrema glossae parte allata haec addit: '*quamuis autem senatoria quisque origine esset, usque ad legitimos annos eques romanus erat, deinde accipiebat honorem senatoriae dignitatis*'. haec uerbis antecedentibus tam arcte coniuncta sunt, ut uix aliunde hausta uideri possint. hinc sequitur, omnes quos diximus scriptores ex uno auctore id est e Suetonio alium alia hausisse.

De differentia inter *iuuentutem* et *iuuentatem* et *iuuentam* Placidus et Seruius Aen. 1, 590. et Isidorus D. V. 310 quam simillima tradiderunt, ita quibusdam et rebus et uerbis inter se differentes, ut neminem ex altero sed omnes ex eodem auctore hausisse appareat.

Si Reifferscheidius recte statuit, uerba Isidori N. R. 12, 3.: '*Clima cardo uel pars caeli, ut clima orientale et clima meridianum*', ex Suetonii pratis decerpta esse, Placidi glossa de climate composita ad eundem auctorem referenda est. postremo quae Isidorus de cuniculis, lacteo circulo, coturnis, mitra aliisque de rebus tradit, illa quidem cum glossis Placidi consentiunt, sed quasdam discrepantias habent ab Isidoro uix profectas, ut non sit absurdum conicere, utrumque ab eodem auctore id est a Suetonio pendere.

Neque uero desunt loci, in quibus Placidi cum Seruio sit aliqua propinquitas, u. *ancile* ap. Seru. Aen. 8, 664., *animales hostiae* Aen. 3, 231., *oracula* Aen. 2, 114., *pan* Ecl. 2, 31. alii sic sunt amborum communes, ut credere possis, ex eisdem antiquis thesauris eos petitos esse, cf. *fastus* ap. Seru. Aen. 3, 326., *pellacis* Aen. 2, 90., *spiris* Aen. 2, 217., *tonsae* Aen.

7, 28. praeterea quaedam apud Luctatium inueniuntur, quae non ualde diuersa exstant apud alios auctores, u. *latro* ap. Varr. L. L. 7, 752., *porcam* ap. Varr. R. R. 1, 29, 3., *hostia uictima* ap. Front. D. V. 2204, 24. P., *cilones* ap. Charis. I 102, 1. K., *gerras* ap. Non. 118, 24. sed temerarium esset ex hac rerum quarundam similitudine colligere alterum ab altero pendere. nam multae res non possunt nisi similiter ab omnibus explicari.

Quae praeterea in libro glossarum Placido adscripta sunt, eorum aliqua, si modo iure Luctatio tribuantur, ad certos auctores referenda sunt, ut '*bucinus bucina*' ad Flauium de orth. 2243, 8. P., '*lego dicimus librum*' ad Serg. explan. in Don. 552, 26. K., '*capere*' ad Seru. Aen. 1, 396., '*melotis*' ad Eucher. instr. 2, 10., '*cyprus*' ad cantica canticorum 4, 4, 14., '*gaesatorum*' ad Oros. hist. 4, 13. differentia inter '*conscribere exscribere* etc.', quam Isidorus D. V. 99 e Placido sumpsit, apud Agroecium de orth. 2268, 17. P. legitur. denique glossis aliquot ad Virgilium interpretandum compositis magna cum Seruio cognatio est, uelut glossis '*exuri, foret, concilias, dies*', ut ex eodem fonte profluxisse uideri possint (cf. Seru. Aen. 1, 39. 1, 260. 1, 78. 2, 324.).

Ceterum mox alios scriptores et ipsos Placidi glossas ad usum suum conuertisse, cum illa praefatione ad anthologiam latinam, quam supra commemorauimus, cognoscitur, tum exemplo Isidori, qui multas earum in opera sua, inprimis in libros etymologiarum, modo integras modo breuiatas modo auctas transtulit. Isidorus autem eo genere librorum Placidi scriptorum usus est, quod auctoribus glossarii magni ad manum erat, cf. *caltulum, exsul, margo, cicindela, pullos* etc. atque etiam cum in Placidi libris s. u. *diuortium* recte differentia inter '*diuertit*' et '*deuertit*' statuatur, in glossariis autem locus ita sit corruptus, ut inter '*diuortit*' et '*diuertit*' distingui uideatur, Isidorus eodem codicis sui uitio deceptus in D. V. 147. inter '*diuortit*' et '*diuertit*' discrepantiam inepte posuit.

VI.

Qua ratione Placidus in glossis conscribendis usus sit.

Antiquos glossematum scriptores magna ex parte Placido et res et uerba suppeditasse uideri supra demonstrauimus. quem pauca nouasse ex eo sequitur, quod idem in Statio commentando integras saepe periodos ex aliis auctoribus transscripsit (cf. *futile* ap. Luct. Plac. Theb. 8, 298. et ap. Seru. Aen. 11, 339.), quodque loci e Suetonio deprompti, qui Placido cum Isidoro uel cum aliis communes sunt, paulum ab his differunt. glossemata quaedam ex uariis libris confusa uidentur, uelut ea quae s. u. *agoniae* composita leguntur. deinde Placidus cum de paganis loquitur, hoc uocabulum pro nominibus auctorum quorumuis gentilium, quae in libris inuenerat, uidetur posuisse. quod item a Seruio uidemus factum esse, qui '*aiunt alii*' uel '*alii putant*' similia scripsit, ubi eum auctorum nomina suppressisse e Macrobio aliisue perspicitur. Luctatium autem cum diligentia ac literarum scientia non ita magna rem suam egisse, multi loci argumento sunt. sic legimus: '*Indiges dicitur hemitheus, ut supra dictum est*', quamquam nusquam alias indigetum mentio facta est. inde sequitur Placidum illa uerba ex auctore suo integra asciuisse, nisi forte aliquam glossam de indigetibus scriptam excidisse statuendum est. neque adduci possum, in ueterum libris ita scriptum fuisse: '*Assiduos, capite censos, qui nihil dare poterant nisi prolem*', cum omnes ceteri scriptores assidui nomine locupletem significauerint, sed potius suspicandum est, cum in libris discrimen inter assiduos et capite censos expositum esset, Luctatium res commiscuisse.

Pro '*idace*' Kettnerus restituit '*antidhac*', '*caculabor*' et '*forbia*' nos scripsimus pro '*iaculabor*' et '*orbia*'. quae menda ipsi Placido tribuenda censeo, quod uocabula *idace, iaculabor, orbia* his literis, a quibus falso incipiunt, in utrisque libris inserta sunt. iam quae idem posuit: '*Palpitans est qui animam trahit. nam palpitrans non est latinum, potest tamen a palpebris uenire*', ita uix possunt intelligi. coniecerit aliquis, ab eo auctore, quem explicauit Placidus, scriptum fuisse

'*palpitrans*' seu '*palpetrans*', Luctatium autem, cum hoc uerbum antiquitate obliteratum ei parum latinum uisum esset, pro eo uocem usitatiorem '*palpitans*' posuisse: Varronem quidem '*palpetrae*' pro '*palpebrae*' usurpasse Charisius I 105, 14. K. testatur. deinde quod Placidus '*supellectile*' ut nominatiuum singularem posuit et '*enucleo*' secundae coniugationis esse dixit, ipsi uitio dandum esse puto, item quod analogiam uitium uel rectitudinem alicuius uerbi interpretatus est, cum sic fere dicere debuerit: '*Analogia est ratio similitudinis, unde cognoscitur uitium uel rectitudo alicuius uerbi*'. quae denique s. u. *factus* leguntur ne Placido quidem digna, ea aliunde inuecta esse idcirco crediderim, quod haec glossa ad Iesum Christum, qui caro factus est, uidetur referenda esse.

Librorum notae.

P = Placidi libri
C = codex Corsianus
H = „ Hamburgensis
R = Romana editio Maii
G = liber glossarum siue consensus codd. libri glossarum omnium uel plerorumque
b = codex Bernensis
v = „ Vercellensis
p = „ Palatinus
a = „ Bambergensis
m = „ Monacensis 14429.
r = „ Ratisbonensis 2. (nunc Monac. 13002.)
w = „ Windbergensis 1. (nunc Monac. 22201.)
ω = ceteri libri
Isid. = Isidori etymologiae
Isid. D. V. = Isidori differentiae uerborum
OP = Osberni Panormia (Class. auct. ed. Mai t. VIII).

Glossae LVCTATII PLACIDI GRAMMATICI IN PLAVTI COMOEDIAS.

Primo per A litteram.

Alumna ab alendo dicta. nam *et* quae alit et quae alitur, alumna dici potest, id est [nutrix] et quae nutritur et *quae* nutrit. sed melius tamen, quae nutritur.

Abuti et bene uti est et male uti.

Abnuere est recusare, abnegare. cui contrarium est adnuere, id est dare uel concedere.

Adsciuit sibi, adiunxit sibi alienum, quod non habuit.

Altrinsecus non 'ex alto', sed 'ex altera parte'.

Abactus est, de medio sublatus est et raptus, unde latrones 'abactores' dicuntur.

Adhaesio bene dicitur ab eo, quod est haerere.

Aedituus, qui aedis est custos, et scribimus cum diphthongo. editissima uero loca monophthonga.

Alterutra pars, utraque pars.

Aethra generis feminini, et est locus, in quo sidera sunt, unde 'aetheria sidera' dicimus. ceterum aether generis masculini supra caelos est igneae inuisibilisque naturae, quem quidam deum magnum uel eius regnum dicunt.

---

1 Luctatii *C*: *om HR* | in Plauti comedias *C*: *om. HR* 3 primo *R*: *om. CH* 4 Alumna nutrix *G* | et, *item u.* 6. quae *reposuimus ex Isid.* 10, 3. 5 nutrix *P nos inclusimus cf. Isid. l. c.* 10 Asciuit *C* 12 est et *H*: est *R*, et *G* 15 Aeditiuus *H*, Aeditubus *b* | quia aedis *b* 16 loca montosa *C* 18 Aethra *CR*: Aethera *HG. non satis liquet, utrum Placidus* aethra *scripserit an* aethera. | et est] est *H* 19 ceterum aethera *CH* 21 magnum deum aut *G*

4 alumna] = *Isid.* 10,3. *cf. Seru. Aen.* 4,72 *et* 11,33. *Non. p.* 243,30. *Caper p.* 2250,28. *P.* 7 abuti] *Plaut. Poen.* 5,4,27. *etc.* 8 abnuere] *Plaut. Truc. Prol.* 4. *Capt.* 3,1,21. 11 altrinsecus] *Plaut. Pseud.* 1,3, 123. 3,2,72. *et alias.* 12 abactus est] *u.* abactores *explicant Paulus Sent.* 5,18,1. *Seru. Georg.* 3,407. *Isid.* 10,4. 15 aedituus] *Plaut. Curc.* 1,3,48. *cf. Charis. p.* 75,18. *K. Varr. L. L.* 7,12. *et* 8,61. *Fest. Paul.* 13,6. *Gell.* 12,10,1. 18 aethra] *Isid.* 13,5,1. Aether (*al.* Aethera) locus est, in quo sidera sunt, et significat eum ignem, qui a toto mundo in altum separatus est. sane aether est ipsum elementum: aethra uero splendor aetheris, et est sermo graecus. *Apparet ex Placidi interpretatione, Isidorum uu.* aethra *et* aether *male confudisse. cf. praeterea Seru. Aen.* 3,585. *Isid. D. V.* 82. *Apul. de mundo* 1.

Aeuitas quidem potest dici, sed rarum est. in usu magis perpetuitas uel aeternitas dicitur. aeuum autem generis neutri est.

Auus pater patris est. proauus aui pater. atauus proaui pater. tritauus ataui pater.

Alterutrum aut hoc aut illud, aut utrumque significat. sed magis duas partes habet.

Alii scribimus singulariter dativo casu, ut de Catilina Sallustius dicit: 'Multos iuuenum pellicebat diuersis inlecebris: alii scorta praebere, alii equos mercari, alii canes ad uenandum'.

Aruina, pinguedo.

Altilitate ab alendo, id est ipsa res, quae alitur.

Acti, coacti, compulsi.

Autumant, asserunt, confirmant uel adseuerant.

Auspicium est initium alicuius rei, quo primo sumit exordium, id est inchoatur ut fiat. est autem auspicium, quod aues uel animalia paganis auguribus demonstrant, unde futura noscuntur. sunt igitur bona auspicia, quae cogunt res inchoare, sunt mala, quae prohibent.

Actae dicuntur loca secreta circa mare, id est in litore, amoena et uoluptaria.

---

2 aut aeternitas *G* 6 aut hoc *G*: *om. P* | significat. sed *nos*: significationes *libri* 9 pelliciebat *R* 12 Aruina adeps aut pinguedo *G* 13 Altilitare *C*, Altili dote *Koch. uocabulum non uidetur sanum esse* 15 asserunt *G*: afferunt *C*, efferunt *HR* 16 quo *G*: quae *P* 17 est autem *C*: est et *HR*, et est *G* 18 uel animalia *G*: animalibus *P* | auguribus *HR*: auribus *CG* 21 Actae *a*: Acte *bv*, Actues *C*, Acta *R*

1 aeuitas] *cf. Varr. L. L.* 6,11. *Non.* 192,6. *Seru. Aen.* 6,764. 4 auus] *Plaut. Mil.* 2,4,20. *et Pers.* 1,2,5. Nam nunquam quisquam meorum maiorum fuit, Quin parasitando pauerint uentres suos, Pater, auos, proauos, abauos, atauos, tritauos. 8 alii] *Plaut. Mil.* 4,2,84. 4,8,47. *Truc.* 4,2,31. *cf. Neue, Formenl. d. l. Spr.* II *p.* 157. *Sall. Cat.* 14,6. Sed maxume adulescentium familiaritates adpetebat: eorum animi molles [aetate] et fluxi dolis haut difficulter capiebantur. Nam ut cuiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canis atque equos mercari *etc.* 12 aruina] *Fest. Paul.* 20,19. Aruilla, aruina, id est pinguedo corporis. *Seru. Aen.* 7,627. Aruina secundum Suetonium in libro de uitiis corporalibus: 'Aruina est durum pingue, quod est inter cutem et uiscus'. Alii aruinae nomine laridum dicunt. *Isid.* 11,1,81. Aruina est pinguedo cuti adhaerens. *lib. gloss.* Aruina, caro ferina. *cf. Suet. Rel. ed. Reiffersch.* 272,1. 14 acti] *Seru. Aen.* 10,708. Actus, coactus in retia. *cf. eund. ad* 5,793. *et* 7,42. 15 autumant] *u.* autumare *passim ap. Plautum. cf. Gell.* 15,3,4. *Non.* 237,2. 16 auspicium] *Plaut. Men.* 7,9,88 *etc.* 21 actae] *cf. Seru. Aen.* 5,613 *lib. gloss. (p):* Actae, litora, loca amoena, *ibid.* Acta, ripa nemorosa, *ibid.* Acta, secessus amoenus.

Ausim uerbum est promissiui modi, ut si dicas. 'ausim dicere' 'ausim recitare': cuius est uerbi prima persona 'audeo' et dicitur ausim ausis ausit uel audebit.

Aesculus arboris nomen est glandariae, ab aesca dicta, quod ante usum frumenti haec arbor uictum mortalibus praebebat.

Arctos est stella ursae in septentrione posita. nomen est graecum, quia ursa graece ἄρκτος dicitur. ergo pro stellis septentrionalibus.

Amphitrite est dea maris, matrona Neptuni.

Alapari est alapas minari, id est foedam et superbam caedem; uel pro iactantia.

Adoleuit uerbum est, quod 'creuit' significat. adoleo enim est cresco, unde adulti dicuntur iuuenes in flore aetatis et in cremento ipso positi.

Admodum, ualde. aduerbium est comprobantis uel adprobantis.

Adorea, panis de adore et laus bellica.

Adsentiae, adsentationes, id est consensiones. ut si quis tibi aliquam rem dicat et tu illi adsentias, ipsae res adsentiae nuncupantur.

Achates lapis est ueluti galbani coloris in Achate, fluuio Siciliae, plurimum nascens, ad gratiam pertinens et Veneri consecratus.

---

